



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XVIII. Quis sit actus sapientiæ specialiter Spiritui Sancto attributus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

fidem sapientiam vocare, rationes illas aliter interpretando. Nam eadem cognitio nomen fidei fortitur quasi ex obiecto formali, quatenus est assensus in auctoritate Dei dictis fundat⁹; alias ergo tres denominationes potest sumere ex materia, vel ex modo operandi, vel ex effectib⁹. Dicitur enim intellectus, quatenus est simplex intelligentia diuinorum, illis præbendo assensum sine discursu, quasi primis principiis sub diuino lumine. Vocatur autem sapientia, quatenus Deum ipsum, eiusque attributa contemplatur cum aliquo discursu formali, vel virtuali per rationes proprias, & supream veritates diuinas cognoscendo, v.g. Deum, quia est purissimus actus, esse immutabilem, & infinitum, ac omnipotentem, ac summe perfectum. Et hinc etiam illum considerat vt summe amabilem, colendum, &c. Scientia vero dicitur, quatenus veritates etiam creatas, & reuelatas amplectitur, & ex illis ad Deum ascendit, & ex illis iudicat, esse etiam colendum, &c. vel è conuerso eandem fidem, quatenus in ipsis mysterijs ad humanitatem Christi, vel alia mysteria creata pertinentibus, versatur, in eis vnam veritatem ex alia intelligit, vt Christum habere voluntatem humanam, quia est homo, vel quid simile. Sic enim non est nouum eandem rem diuersis nominibus propter diuersas considerationes appellare, vt intellectus vocatur ratio superior, & inferior, & memoria, &c.

14. Sed nihilominus multo verifimilius videtur, nullum ex donis cum fide confundi, seu esse eundem actum cum illa. Primo quidem quia illa dona Christo primitus attributa sunt, qui non habuit fidem: illa etiam in Angelis sanctis inueniri tradit Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 20. Vnde etiam communiter docent Theologi, hæc dona in beatis manere, cum Magistr. in 3. dist. 34. Video responderi posse in Christo spiritum sapientiæ, scientiæ, & intellectus non fuisse actus distinctos ab actibus scientiæ beatæ, vel potius infusæ, quatenus per illa lumina iudicat de rebus diuinis, tanquam de principiis, & tanquam de conclusionibus, vel per altiores, vel per inferiores causas, aut media. In nobis autem hæc inueniri inferiori modo, & ratione, ac subinde per fidem. Quia non oportet, vt illi actus numerati ab Isaia, inueniantur in nobis & in Christo secundum eandem rationem, id est, eiusdem speciei essentialis, sed satis est, quod sint secundum aliquam participationem, ratione cuius eadem nomina sortiantur. Quia Patres supra citati de his perfectionibus loquentes, dicunt fuisse in Christo secundum plenitudinem, in nobis vero secundum quandam inferiorem participationem. Et iuxta hunc modum consequenter dicitur, hæc dona secundum rationes generales sapientiæ, &c. futura esse in beatis, commutata vero in alia perfectioris, & altioris rationis illi statui magis proportionata. Quæ quidem responsio non potest euidenter impugnari, re tamen vera Theologi non sunt in illo sensu loquuti, quando dixerunt, actus illos donorum manere in patria, nec Patres illa tribuunt Christo ratione scientiæ beatæ, aut infusæ, sed tanquam diuersas perfectiones eas numerant, vt dixi etiam in dicto loco tertiæ partis, & ideo cum possint aliter illa dona intelligi, vt mox videbimus, & id ad maiorem gratiæ perfectionem, & amplitudinem pertineat, non est cur hos actus cum actu fidei confundamus.

15. Accedit, quod hæc dona censentur esse propria iustorum; ergo non manent in peccatoribus, etiam si in eis maneat fides; sunt ergo actus distincti. Item in Scriptura semper innuitur distinctio istorum actuum tam inter se, quam à fide. Nam Salomon iam fidem habebat, cum inuocauit, & datus est illi spiritus sapientiæ. Et simili modo David orabat, Da mihi intellectum, Psalm. 118. Et de iusto dicitur Eccles. 15. Cibauit illum pane vite, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et infra. Implebit illum spiritu sapientiæ, & intellectus. Et capit. 39. de iusto dicitur. Si enim Dominus ma-

gnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum. Et Eccles. 24. de primis parentibus: Creauit illis scientiam spiritus. Quæ omnia, & similia multa, quæ de his donis, seu perfectionibus in Scripturis leguntur, non est verifimile, propter solam fidem, vel eius augmentum fuisse dicta. Præterquam quod illa ratio distinguendi in actu fidei illas denominationes, est voluntaria, & non satis constans. Quia fides non solum ita denominatur in ordine ad rationem credendi, sed etiam in ordine ad rem creditam. Et in ordine ad illam distinguui solet fides ab intelligentiâ non solum nomine, sed etiam perfectione. Vnde est illud Isaï. 7. iuxta Septuaginta, Si non credideritis, non intelligetis, & in pura fide non cognitioper causas altiores vel inferiores, sed simplex assensus per Dei auctoritatē. Oportet ergo, quas perfectiones, intellectus, sapientiæ, & scientiæ aliquos act⁹ esse à fide distinctos, ac subinde ex hac parte dari actus aliquos intellectus supernaturalis, distinctos à fide, qui sine auxilio gratiæ haberi non possunt. Quales autem sint, & quomodo à fide, & inter se distinguantur, in sequentibus capitibus exponetur.

CAPVT XVIII.

Quis sit actus sapientiæ specialiter Spiritui Sancto attributus?

Suppono non esse sermonem de extraordinario modo scientiæ, & sapientiæ per se infusæ, quam Deus potest conferre de veritatibus ipsis diuinis, & dat quasi supernaturalibus, vel etiam de naturalibus, & futuris, &c. prout illas contulit plenè animæ Christi, & ex parte dedit Salomoni, & forte alijs ex priuilegio. Hæc enim scientia non spectat ad ordinem gratiæ gratum facientis, de qua nunc tractamus. Et eadem ratione hic non agitur de actu prophetiæ, quia spectat ad gratias gratis datas, & de distinctione illius à fide alibi dicendum est. Agimus de his actibus prout cōmuni lege censentur dari fidelibus vitam gratiæ habentibus. Inter quos Isaïas primo loco posuit sapientiam, & ideo ab illa initium sumemus.

Primo igitur de actu Sapientiæ variè loquitur D. Thomas: nam 1. 2. qu. 68. art. 4. absolute dixit, donum sapientiæ dari, vt perficiat intellectum speculatiuum in iudicando ex motione peculiari Spiritus Sancti, iuxta quam sententiam actus sapientiæ nihil aliud est, quam iudicium intellectus speculatiui ex diuino instinctu immisum. Hæc autem declaratio procul dubio non sufficit, primò quia totum id conuenit actui fidei: nam est actus intellectus speculatiui quoad iudicium de rebus propositis vt reuelatis à Deo, & elicitis ex peculiari Spiritus Sancti motione, & instinctu, vt late in præcedenti libro ostensum est. Secundo multo magis id conuenit actui intellectuali prophetiæ, nam est iudicium de veritate speculatiua ex singulari motione diuina, vt constat. Tercio actus etiam scientiæ infusæ in Christo est iudicium speculatiuum ex motione Spiritus Sancti, non n. potest aliter fieri, cum sit supernaturalis, & tamen distinguitur à dono sapientiæ, etiam in ipso Christo. Quarto iuxta illam doctrinam omne iudicium speculatiuum ab Spiritu Sancto immisum intellectui, erit donum sapientiæ, seu actus eius: consequens nulla ratione videtur admittendum, aliàs iudiciū de rebus creatis, & inferioris ordinis, seu non pertinentib⁹ ad salutem, pertinebit ad vnū ex proprijs donis Spiritus Sancti v. g. æ alia sint paria, vel imparia à Spiritu Sancto iudiciū, vel quid simile; consequens autem est plane contra mentem Scripturæ, & Sanctorum de donis Spiritus Sancti loquentium. Ad hæc vero generatim responderi potest, D. Thomam in illo loco non intendisse ex- ac de definire, aut declarare propriam rationem doni Sapientiæ, sed tantum cōmuni quadam ratione illud

illud explicare, quantum ad distinguendum illud à cæteris donis sufficeret, & hoc per illa verba sufficienter præstitisse, integræ, & specificæ ratione doni sapientiae in proprium locum explicandum referuando.

Quæ quidem responsio satisfactio obiectioibus propofitis, nam illis concedit, quod intendunt, nimirum in illa explicatione non contineri adæquatam descriptionem doni sapientiae, & ideo mirum non esse, quod illæ proprietates in alijs actibus inueniri possint. Sed tunc superest explicandum, quo peculiari modo sapientiae donum iudicium speculatiui intellectus perficiat, ut in hoc distinguatur ab alijs virtutibus supernaturalibus, quæ speculatiuum etiam intellectum in iudicando perficiunt. Et præterea insurgit noua obiectio, quia etiam per illam doctrinam non sufficienter distinguitur donum sapientiae à dono scientiae. Nam etiam donum scientiae principaliter perficit intellectum speculatiuum, ut docet idem Diuus Thomas 2. 2. quæst. 8. artic. 6. & quæst. 9. artic. 3. & perficit quoad iudicium, ut dicto art. 6. quæst. 3. & in artic. 1. quæstione 19. dicit; ergo in hoc non distinguitur à dono sapientiae. Nec etiam in hoc, quod scientiae donum non tantum est speculatiuum, sed etiam practicum, ut ibidem ait Diuus Thomas, nam idem de dono sapientiae docet 2. 2. quæst. 45. art. 3. ergo ex priori doctrina data in 1. 2. non satis distinguitur sapientia à scientia, etiam in illo generali, & perfunctorio modo.

Ad hanc vero postremam obiectionem respondeo, D. Thomam mutasse sententiam quoad donum scientiae, nam 1. 2. processit supponendo, donum scientiae esse purè practicum, & ex illa hypothese sufficienter distinguitur à dono sapientiae. Postea vero docuit, etiam donum scientiae esse principaliter speculatiuum, & secundario practicum, quia sententia supposita ingenuè fateor, prioris rationem distinguendi non esse sufficientem, nec posse subsistere. Veruntamen de distinctione sapientiae à scientia, & intellectu, dicemus, tractando, quid illa sit, quia distinctio supponit cognitionem extremorum, nunc declarandum est, quid ipsa sapientia sit, & præcipue quomodo à fide distinguatur, vel in materia, vel in modo operandi circa talem materiam. Et consequenter etiam exponemus, quomodo à Theologia differat, nam Theologia etiam est virtus intellectualis, & sapientia esse censetur. Omisissis autem varijs modis explicandi hoc donum, ut ad intellectum pertinet, duos præcipue expendemus.

Primus modus explicandi hunc actum sapientiae esse potest distinguendo in fide ipsa principia fidei, & conclusiones, quæ ex illis deducuntur, ex quibus conclusionibus quædam sunt omnino supernaturales, & diuinæ; aliæ sunt inferioris ordinis. Sapientia itaque non versatur circa principia fidei, iudicando de illis, quia hoc est munus fidei; versatur ergo circa conclusiones deductas ex principio fidei, non quascunque, sed maxime diuinas, & supernaturales. Quia sapientia per causam altissimam iudicat, teste Aristoteli 1. Metaphy. cap. 2. & ita sapientia simpliciter iudicat per primam causam simpliciter, quæ est Deus: & ut fit sapientia diuina, debet etiam iudicare de diuinis rebus, iuxta doctrinam Augustini lib. 12. de Trinitate. cap. 19. & ut fit sapientia supernaturalis debet esse non per studium humanum, sed modo supernaturali à Spiritu Sancto descendens, ut ait D. Thomas dicta quæst. 45. art. 1. ad 2. ubi etiam addit, sapientiam differre à fide. Nam fides assentit veritati diuinæ secundum se ipsam, sed iudicium, quod est secundum veritatem diuinam, pertinet ad donum sapientiae. Non enim videtur posse intelligi, quid sit iudicium secundum veritatem diuinam, nisi iudicium de veritate aliqua deducta ex ipsa veritate diuina immediate reuelante priorem veritatem, ex qua alia deducitur.

Hæc vero explicatio, præter difficultates, quas necesse est pati in explicanda distinctione huius doni à

Pars I.

donum scientiae, & intellectus, de quibus statim dicemus, licet sufficienter distinguat sapientiam à fide non potest distinguere donum sapientiae à Theologia, ad quam pertinet iudicare de conclusionibus diuinis, quæ ex principijs fidei eliciuntur, & ideo etiam est, & vocatur sapientia. Quod si quis distinctionem constituit in hoc, quod Theologia acquiritur per studium humanum, donum autem sapientiae per infusionem, & motionem Spiritus Sancti. Contra hoc est, quia hæc differentia non potest esse in substantia actus, nec in eius certitudine, sed solum in accidentali modo, & ita sapientiae donum solum erit per accidentem infusum. Probatur assumptum, quia actus doni sapientiae sic explicatus non fit à nobis sine discursu, nam est deductio conclusionis ex principio fidei, quod humano modo non fit sine discursu. Neque est verisimile, Spiritum Sanctum per donum sapientiae eleuare hominem ad iudicandum de conclusionibus ex principijs sine discursu. Oporteret enim, eodè actu iudicare de conclusione in ipso principio, huic autem contrarium supponitur, nimirum, iudicium de principio esse alterius rationis, & altioris virtutis, quam iudicium conclusionis: nam illud est fidei virtutis Theologiae, hoc vero sapientiae. Fit ergo iudiciū doni sapientiae per Theologicum discursum; ergo non est, unde in substantia differat à iudicio nostræ Theologiae acquiræ, quia utrumque iudicium nititur in eodem medio, & reuelatione fidei applicata ad conclusionem mediante discursu. Solum ergo differre poterit in modo, si Spiritus Sanctus speciali auxilio faueat ad velocius, vel melius faciendum discursum, quod est accidentarium, quia semper ille discursus est naturalis, & in lumine naturali fundatur quoad illationem.

Dicit forte aliquis, assensum Theologicum, si debito modo fiat, esse supernaturalem quoad substantiam, quatenus est certior ipsa naturali scientia, & ideo non esse inconueniens, quod donum sapientiae sit actus eiusdem rationis, quia nihilominus erit per se infusus, & supernaturalis, pertinebitque ad donum solum propter speciale modum obtinendi illud iudicium ex peculiari motione Spiritus Sancti.

Sed contra hoc obstat primo, quia iuxta illam sententiam etiam fatendum est, habitum Theologiae esse per se infusum, & supernaturalem in substantia, quia est eiusdem ordinis cum suo actu. Vnde consequitur, habituale donum sapientiae non differre in substantia ab habitu proprio Theologiae, quia actus non differunt in substantia, & modus ille supernaturalis non cernitur in habitu, sed in actu, nec modus ille procedit per se ab habitu, sed tantum ab actuali auxilio Spiritus Sancti. Sicut eadem temperantia acquisita, est, quæ ex honestate naturali seruat castitatem tempore temptationis, & extra illam, licet tempore temptationis id faciat ex auxilio gratuito, & non urgente temptatione possit id facere absque auxilio: nam quoniam auxilium non datur propter speciem actus, sed propter modum accidentarium, tunc actus ab eodem habitu procedit: ergo fatendum erit, habitum Theologiae infundi omnibus iustis, licet simplices illo vtantur raro, & ex speciali instinctu, & motione Spiritus Sancti quoad modum discursus, sapientes vero, vel adficientes illo uti possint studio humano, & ideo frequentius illo vtantur.

Item sequitur, donum sapientiae de se manere posse sine charitate, sicut Theologia manet sine illa: nam fidelis peccator potest elicere conclusiones ex principijs fidei, & de illis iudicium ferre. Quod si quis dicat, posse quidem hoc fieri modo, & studio humano, non vero ex motione Spiritus Sancti. Falsum hoc est, loquendo per se, & ex vi, & indigentia talium actuum: nam si Spiritus Sanctus nolit dare hanc motionem, nisi iustis, hoc extrinsecum, & accidentarium est, & gratis dicitur, unde enim constat de Spiritu Sancti voluntate? sæpe enim solet inuare peccatorem ad recte ratiocinandum, & iudicandum ex principijs fidei, non vel pro-

ur, quia sapientiam cum Theologia confusum.

Solutio.

Reijciatur.

7. Altera solutio.

8. Oppugnatur primo.

9. Oppugnatur 2. Solutio reijciatur.

vel propter utilitatem communem, vel etiam propter aliquod bonum recipiētis. Et præterea cum habitus respondens his actibus, per se tantum pendat ex fide, sicut Deus non auferit fidem propter peccatum, nec auferit talem habitum, sicut de facto nō auferit à Theologo sapiēte habitum Theologiæ propter peccatum, & non fit contra fidem, siue habitus Theologiæ in se naturalis, siue supernaturalis esse cōfatur.

10.
Oppugnatio. 3.

Deniq; ex illa sententia sequitur donum sapientiæ esse æque obscurum, ac fidem, quia iudicium eius essentialiter pendet ex iudicio fideli, & consequenter sequitur, donum sapientiæ non manere in patria, contra D. Thom. & Theologos communiter, sicut Theologia hic acquisita non manet eadem numero, vel specie in patria, quia Theologia viæ tam essentialiter est obscura, & nititur testimonio Dei, sicut fides, licet non tam immediate. Scio, de Theologia respondere

Refellitur. aliquos, Theologiam secundum se spectatam non esse obscuram, sed hoc illi accidere, & ideo manere posse cum euidencia principiorum, idemque dici posset de hoc dono sapientiæ. Sed hæc dicuntur vere de

Theologia, vel sapientia in genere, non tamen de hac Theologia in specie, quæ generatur ex principijs tantum creditis, illa enim diuersa est in specie à Theologia euidente, & tam essentialiter nititur testimonio, sicut fides, vnde trahitur, & ideo non potest esse sine illa. Idemque erit de iudicio sapientia, si deductum est per discursum ex iudicio fidei, & consequenter tale donum non manebit idem numero, vel specie in patria, sed aliud excellentius loco illius. Hæc incommoda occurrunt in hoc modo explicandi actum

huius doni, quæ si aliquis deuorauerit, vel tolerabilia
visa fuerint, poterit illum probabiliter defendere.
Ego autem illum non probo; quia non est consentaneus
doctrinæ D. Thomæ, & Theologorum, ut illationes
factæ ostendunt, quæ reuera singulares sunt, & non
possunt facile concedi. Et præterea quia sapientia sic
explicata non est necessaria ad iustitiam, neque ad
modum utilis, & ideo non est, cur inter dona Spiritus
Sancti numeretur, & omnibus iustis tribuatur:
nam prout esse potest utilis ad commune bonum
Ecclesiæ, potius ad gratias gratis datas pertinebit.

veritatis diuinæ, sed non iudicat, sapientia vero iudicat. Differentiam autem inter assensum, & iudicium in hoc constituit, quod assensus est sola determinatio ad alteram partem contradictionis, iudicium vero est determinatio rei, ut est, vel esse debere. Quæ duo dicit se sequi mutuo inferre, formaliter autem differre, & assensum priorem esse iudicio secundum naturâ. Quod declarat exemplo, quia in quæst. v. g. de conceptione Virginis sine peccato, qui ignorat, quæ pars contradictionis verâ sit, abstinere à iudicio, & nihilominus determinando se ad vnam partem, credit illam. Postea vero addit Caietan. etiam fidem iudicare secundum causas altissimas, non tamen cum tanta perfectione, quæ eam iudicio sapientiæ, & quæ etiam ait, non esse alium actum à iudicio, sed eundem alio modo, scilicet ex instinctu Spiritus Sancti.

Ego vero intelligere non valeo differentiam inter
assensum, & iudicium. Et in primis illa distinctio non
habet fundamentum in D. Tho. nunquam enim illam
insinuauit, sicut nec alij Theologi, vel Philosophi. De-
inde si non sit æquiuocatio in verbis, non potest actus
intellectus circa aliquam materiam sub aliqua ratione
nec esse assensus, quin formaliter, & essentialiter sit iu-
dicium, & è conuerso. Dico autem, si non sit alius, si
æquiuocatio in uocibus. Nam si nomen iudicij restringatur
ad iudicium de re per medium intrinsecum, vel
per effectum, assensus uero latius sumatur pro qua-
cunque determinatione intellectus, sic distinguimus
inter aliquo modo, tamen ille est uoluntarius vsus vo-
cis. Et adhuc illo modo non poterunt distinguui, nisi
ut genus, & species, quia iudicium erit perfectior as-
sensus secundum illam conditionem, non potest ta-
men negari, quin iudicium essentialiter sit determi-
natio intellectus ad id, quod iudicat, & consequenter
non potest esse iudicium, quin sit assensus. Re tamen
uera etiam omnis assensus est iudicium, neq; illa dis-
tinctio uocis iudicium, habet fundamentum in vsu,
neq; in aliqua impositione, de qua constat. Vnde sup-
ponunt omnes, iudicium intellectus posse esse euident,
& ineuidens, certum, & incertum, & per medium in-
trinsecum, & extrinsecum, quod est euident ex vsu il-
lius uocis, tam inter Philosophos, & Theologos, quā
in communi vulgo. Sic enim dicimus, vel leuatur, vel
temere iudicare de aliquo, qui facile credit, aut assen-
tit, illum peccare, vel praua intentione operari: ha-
reticus etiam dicitur de rebus fidei iudicare esse fal-
sas, cum solum humana fidei ducatur. Item dicimus
iudicare inter opiniones, quando alteri assentimus,
etiam si euidentiam, vel charitatem non habeamus,
& sine medio intrinseco utamur.

Stante ergo hoc vñi vocis, est euident, non esse dif-
ferentiam inter assensum, & iudiciū. Nam, vt offe-
di, iudiciū veritatis intrinsece, & essentialiter est ^{impugnatio} assensus, quia est determinatio ad alteram partē con-
tradictionis, & è cōtrario omnis assensus est iudiciū,
quia est determinatio rei, vt est, vel esse debet. Nam
qui credit, Deum esse trinum, & vnum, determinat
in mente, ita esse: & qui credit, Deum esse hominem,
determinat ita esse debere. Item non potest intelle-
ctus determinari ad assentiendum alicui veritati, nisi
iudicando illam esse veritatem; quomodo enim de-
terminatur, si non iudicat de eo, ad quod se determi-
nat. Vnde impossibile est, determinationē esse prio-
rem iudicio, vel è conuerso. Nec exemplum Caietani
aliquid confert, nam qui ignorat, an B. Virgo fuerit
concepta in peccato, nec ne? quando ad neutram partē
tem se determinat, est propius sime ignorans, seu du-
bitans negatiue: quando vero ad alteram partē se de-
terminat, quamuis habeat ignorantiam veritatis in-
se, & oppositam scientiam, seu euidentē, aut fidei di-
uinā, tamen eo ipso, quod se determinat ad alteram
partem, iudicat illam esse probabiliorē, aut veram
conformidine, & quoad hoc putat, se iam non igno-
rare, sed aliquo modo rem illam cognoscere.

Ad hominem item possumus contra Cætan. con- 15
vincere,

16.
Vna
de
conuenientia,
et
dis-
cretione
fidei,
et
sapientiae.

uincere, in presenti etiam materia non habere locum distinctionem illam. Quia ipse Caiet. fatetur, peccatorem sine dono Spiritus Sancti percipere diuina, vtiq; illis assentiendo, & iudicare etiam cauendum esse ad idololatria secundum altissimas causas, & hoc iudicium dici esse actum fidei, & recte, quia creditur certitudine fidei, & quia Deus ita reuelauit: est ergo ille etiam assensus fidei; ergo similiter quilibet assensus fidei de quacunque veritate reuelata est iudicium de illa secundum altissimas causas diuinæ veritatis: ergo etiam actus sapientiae eodem modo, quo iudicium, est etiam assensus. Quod autem Caietan. in fine subiungit, actum fidei, & doni esse eundem, solumq; differre in modo, quia procedit ex instinctu Spiritus Sancti, destruit doctrinam D. Thomæ de donis; quia actus fidei non potest aliori modo procedere ab Spiritu Sancto per instinctum doni, quam per inspirationem ipsius fidei, licet in hac inspiratione possit esse latitudo, & vna possit esse maior, vel efficacior, vel cum maiori intentione, qui modus accidentarius est. Item ille modus non est in ipso actu, sed in causa actus, scilicet, in præueniente auxilio maiori, vel minori, quo non obstante actus non est in se melior essentialiter, accidentalis autem differentia & parum refert, quia tota illa latitudo perfectionis continetur sub virtute fidei, & sæpe poterit non intercedere ex libere hominis minus cooperantis, quam cum maiori auxilio possit.

16.
Vna
de
conuenientia,
et
dis-
cretione
fidei,
et
sapientiae.

Dico ergo, fidem, & sapientiam conuenire tam in ratione iudicii, quam assensus, differre tamen quia fides iudicat simpliciter esse verum, quod reuelatum est, & quia reuelatum est. Sapientia vero, vt hic sumitur, non iudicat de veritate ipsa reuelata, quod verum, vel falsum sit, sed iudicat de rebus diuinis, quatenus conuenientiam habent, & dignæ sunt, vt amentur, vel credantur. Sicut in mysterio Incarnationis v.g. aliud est, ita esse, aliud, esse conueniens, & decens diuinam bonitatem, & sapientiam, &c. Primum ergo iudicatur per fidem, secundum per donum sapientiae, quando ex peculiari instinctu, & motione Spiritus Sancti habetur tale iudicium, & hoc sensu ait D. Thomas citatus, sapientiam iudicare, inhærendum esse rebus diuinis. Et ita sunt priora verba intelligenda: nam iudicium fidei supponitur, & est quasi directum, sapientie vero quasi reflectitur in rem diuinam creditam, & attentius illam contemplatur, ac ponderat, ac tandem iudicat adherendum esse illi, tanquam dignissimæ fidei, vel dilectione.

17.
Solutio
in
finitum.

Dices, etiam fidem iudicare, res fidei esse dignas assensione, & mysteria supernaturalia esse conuenientia, &c. Respondetur, fidem non habere directæ hæc iudicia, & quando illa habet, solum esse sub ea ratione, qua vt dicta à Deo proponuntur. Sapientia vero de his iudicat ex contemplatione ipsarum rerum reuelatarum per fidem, quasi in tuendo in illis, vel ex earum effectibus rationes conuenientie, vel amabilitatis, aut aliarum proprietatum, de quibus iudicat. Et isto modo solet contemplatio sapientiae attribui, vt est apud Augustinum 12. de Trinit. cap. 4. Sic etiam D. Thomas dicta q. 45. art. 2. dixit, hoc iudicium sapientiae esse secundum quandam connaturalitatem ad amorem. Supponit enim hoc donum amorem diuinum: amor autem, vt dixit Dionysius c. 4. de Diuin. nominibus, transfert amantem in amatum per singularem vnionem, & inde facile oritur iudicium de rebus diuinis per quandam connaturalitatem ad illas. Sicque dixit Augustinus lib. 8. de Trin. c. 9. *Quanto flagrantius Deum diligimus, tanto certius, sereniusque videmus.* Nam qui amat, magis attendit, & considerat ea, quæ amat, & facilius illi placent. Quod confirmant Christi verba Ioan. 7. *Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina, vtrum à Deo sit.* Et inde nascitur effectus ille, à quo hic actus sapientiae nomen accepit, nam ea, quæ amantur cum suauitate, & dulcedine cogitantur.

18.
Ethinc etiam intelligitur, hunc actum sapientiae

Pars I.

non ita tribui intellectui speculatiuo, quin circa practicas etiam veritates versetur, sed dicitur esse perfectio speculatiuæ partis, vel quia in illa principaliter versatur, quia etiam de practicis in generali, & modo est. Speculatiuo iudicat, vt D. Thomas dicta questio. 45. art. 3. docuit. Atque ita etiam explicuit hoc sapientiae donum Albert. in 3. dist. 35. artic. 1. ad i. dicens, sapientiam esse quoddam lumen diuinorum, sub quo videntur, & gustantur diuina per experimentum. Et similiter dicit Richard. ibi art. 2. quest. 1. actum sapientiae esse contemplari Deum ex dilectione, cum quadam experimentalis suauitate in affectu. Atque hæc sententia satis pia, & probabilis est, & iuxta illam facile distinguitur actus sapientiae ab actu fidei, quia sapientia non est credulitas veritatis, sed supponit illam, & consistit veluti in quadam scientia experimentalis veritatis creditæ.

Semper tamen relinquitur difficultas, quomodo talis actus possit esse supernaturalis quoad substantiam, cum videatur in medio quodam naturaliter cognito niti, illa enim experientia amoris, & bonitatis Dei naturalis est: vnde nunquam potest esse tanta, vt faciat euidentiam veritatis cognitæ. Dicendum vero est, experimentum illud plus esse, quam naturale, quia est per effectus supernaturales, & ex peculiari operatione Spiritus Sancti cõferetis quandam peculiarem sensum spirituale illorum effectuum, & affectuum internorum, qui per solum naturale lumen apprehendi non posset. Et licet inde non cognoscatur euidenter veritas rerum diuinarum, quæ per fidem reuelantur, euidenter nihilominus iudicantur, & reputantur consentaneæ diuinæ bonitati, & quadam peculiari certitudine causata etiam ex motione Spiritus Sancti mens illis adhæret, & fide ac amore dignas reputat, & ita talis actus in sua substantia, & modo supernaturalis est, & sine Spiritu Sancti specialissimo auxilio non obtinetur.

CAPVT XIX.

Quis sit actus intellectus dono Spiritus Sancti specialiter attributus?

Secundo explicandus est actus intellectus, quem Ilias secundo loco numerauit, de quo etiam D. Thomas in diuersis locis videtur varie loqui. Nam 1. 2. q. 86. art. 4. sentit actum intellectus non peruenire ad iudicium, sed sistere in apprehensione supernaturalium veritatum ad intellectum speculatiuum pertinentium, vt de illis iudicat sapientia, quia in hoc tantum distinguit hunc actum ab actu sapientiae: à scientia vero, & consilio illum distinguit, quia istorum duorum munera ibi tribuit intellectui practico. Hæc autem doctrina patitur difficultates. Vna est, quia difficile est, realiter distinguere apprehensionem à iudicio in supernaturali cognitione eiusdem veritatis. Quia vel per apprehensionem illam cognoscitur veritas rei apprehensæ, id est, ita esse, sicut apprehenditur, vel sistitur in sola compositione, sine cognitione, an ita sit, vel non sit, sicut modo apprehendo alitra esse paria, ignorando, an ita sit. Si primum dicatur illa apprehensio est iudicium, quid enim est iudicare, nisi mente definire, ita esse, & veritati assentire? At ille, qui apprehendendo propositionem cognoscit esse veram, iam assentit illi, & mente definit ita esse; ergo si intellectus vt est donum apprehendit, cognoscendo iudicat: ergo non potest in hoc distingui ab actu sapientiae. Si vero dicatur secundum, scilicet, per actum illum apprehendendi, non cognosci veritatem rei apprehensæ, profecto imperfectissimus est talis actus, & non est, cur sit supernaturalis, maxime cum non fiat per species per se infusas, sed per acquiratas per visum, vel auditum.

Et præterea est superuacaneus talis actus, quia ipsa sapientia

N n 2

sapientia